



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXIV. Benedictvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

te comprobat Chorepiscopos Episcopos non esse, nec aliquid de priuilegio Pontificali debere agere, & ad hoc probandum introducit Linum & Cletum, quamuis adiutores Petri fuissent, nullam tamen potestatem Pontificalem habuisse, sed exteriora tantum ministrasse. Et quia sententiam & verba ipsa notauimus cum de Clemētis ordine & actione in principio huius opusculi scripsimus, ad cætera quæ instant transire non incongruum esse existimamus. Hic ordinauit Episcopos 59. Presbyteros 28. diaconos 12. Obiit autem 2. Idus Iulii.

LXIV.

BENEDICTVS.

A. D. LXXIII.

BENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Bonifacio, sedit años 4. mēsem 1. dies 28. Scripsit autem iste Dauid Episcopo, & illos, qui dicebant, neminem in veritate posse probare Trinitatē vnitatē fieri, cū neq; tres vnū, neq; vnū in tribus possit à quoquā approbari, iussit, vt ad rectam fidem conuerti faceret, aut ab Ecclesia repelleret. Et multis modis probauit, & auctoritate multorum firmavit, vnitatem substantiæ esse in personarum Trinitate, & personarum trinitatem esse in substantiæ vnitate. Huius temporibus valida fame afflictus est populus Romanus. Hic ordinauit Episcopos 21. presbyteros 15. diaconos 4. Obiit autē 2. Kalend. Augusti.

LXV.

PELAGIVS II.

A. D. LXXVI.

PELAGIVS, natione Romanus, ex patre Vingildo, sedit annos 10. menses 2. dies 10. Hic ordinatus est absq; Principis iussione eo quod Longobardi obsiderent ciuitatem Romanam. Eo tempore tantæ pluiæ fuerunt, vt omnes dicerent, quod aquæ diluuii superinundarent: & talis clades fuit, qualē à seculis nullus fuisse meminit. Hic orientalib. Episcopis vniuersis, quos Ioannes Constantinopoliitanus Episcopus præsumptiuè ad Synodum conuocauerat, scribit, & mandat eis, si nolint cum prædicto Ioanne damnari, ^{a epist. 1.} consentiendo ei, à superba præsumptione recedant, & pœnitentiam agere studeant, quia necesse est ea cassari, quæ contra ordinem & auctoritatem facta esse noscuntur. Scribebat enim se esse Episcopum vniuersalem, & ex hac sua præsumptione conuocabat Synodum generalem, cum generalem Synodum conuocandi auctori-